

rali usurpatum, quia Phœnicii πολυθεότης opinione inquinati, & de Numinis natura male sentientes, Deos suos isto nomine designarunt. Sed profanam Clerici audaciam docta notavit censura Dn. Seb. Edzardus in *disp. Utrum Elohim à profano Chananæorum errore originem ducat.* Et ipse qualemcumque adjeci symbolam in *Disp. 2, ostendente, nullum in sanctis literis pleonasmum dari sect. 2. Class. 2. §. XV. p. 65. sqq.* Provocat pariter, quasi re bene gestâ, ad infinita ἀνθρώπων θείας exempla, quæ, si Nostrum audire placet, nunquam in hebraum irreperissent idioma, nisi vetusti Phœnices Numen ἀνθρώπων θεός colentes, istiusmodi loquendi genere fuissent oblectati. En viva gentulismi vestigia! Sed absit felici figmentorum Magistro ad primum statim natum assurgamus. Idcirco, quid illi, ab Anthropopathis desumpto argumento, insit ponderis, curatius inspicere, & ad vivum cuncta, Summi Numinis gratia adspirante, resecare sedet animo. Faxit æternus DEUS feliciter!

THEMA I.

JUSTAM TERMINORUM EVOLUTIONEM EXHIBENS, STATUMq; CONTROVERSIAE RITE DELINEANS.

AVolvi ante omnia operæ pretium est, quid sibi velit *Anthropopathia*. Compositam vocem hanc Græcam ex ἀνθρώπος homo & πάθεια i. e. affectio ἰπαρσις, nemo non agnoscit. Est itaque ἀνθρώπων πάθεια nil nisi *metaphora*, quæ quod creaturis, & præsertim homini proprie competit, ad Deum & res divinis per quandam similitudinem refertur, docente B. Glassio Phil. s. p. m. III 6. Insignitur hocce nomine à potiori, quo gaudet, respectu, id quod alias quoque usu venire assolet. Sicut enim Theologia denominari consuevit ab objecto potiori siue palmaria, quam cognoscendam sistit, re, etiamsi aliæ quoque res, v. g. Angeli, homo &c. à fori Theologici ambitu haud arceantur; Ita ἀνθρώπων πάθεια quoad sonum com-